CONCILIVM INFERORVM

TORQVATI TASSI

IN LATINOS HEXAMETROS VERSVS TRANSLATVM

AB

ANTONIO RIEPPIO



AVG. TAVRINORVM
EXCVDEBAT SODALITAS TYPOGRAPHICA TAVRINENSIS LIBRIS EDENDIS
AN. M.DCCC.LXIV

MICHAELI SOLERAE
VIRO . MENTE . DOCTRINA . VIRTVTE . EXIMIO
LICEI . EPHEBEIQVE . PINEROLENSIS
MODERATORI . SAPIENTISSIMO
QVI
COETVS . JVVENVM . STVDIA . AEMVLANTIVM
TANTA . RERVM . OMNIVM . PRVDENTIA
ERVDIT
VT . EVM
JVVENTVTIS . PRAESIDIVM
MORVM . COLVMEN
LITTERARVMQVE . FAVTOREM
VNIVERSI
MERITO . PRAEDICENT
HOS . VERSVS . EXAMETROS
AVCTOR . VENERABVNDVS
OFFERT . DEDICATQVE

LECTORI BENEVOLO

Concilium Inferorum a Torquato Tasso vivis coloribus depictum, quod ego in latinos hexametros versus transtuli, candide lector, tibi exhibeo. Difficile sane opus, arduumque laborem adivi; nam tartareum tyrannum, magnamque dæmoniorum catervam ita graphice pingit, tantaque vi eundem stygium dominatorem inducit loquentem præclarissimus noster poëta epicus, ut non solum terrificam concionem per cuneos tenebricosos effusam videre, sed etiam verba humanis auribus non audienda audire putares. Quis igitur tale opus laboremque aggredietur quin pertimescat ne pulcherrima poësis in aliam linguam versa nervos vehemensque robur amittat? Attamen non me deterruit timor ab opere incepto; quin imo vires animumque resumpsi hoc mente revolvens Propertii effatum:

. . si deficiant vires, audacia certe
Laus erit: in magnis et voluisse sat est.

Miraris fortasse, candide lector, me hanc sumpsisse in latinam linguam translationem: sed quamvis hoc nonnulli non laudi, sed potius contemptui mihi sint daturi, me tamen non pœnitet quod elaboraverim versus eo sermone, quo

locutus est olim populus orbis terrarum dominus, cujus nos sumus progenies, cuique nulla gens erit par, donec current annosi sidera mundi.

Non me latet aliquos viros fucata eruditione tumidos, atque, adinstar Pythiæ ex apollineo tripode delirantis, quadam insania abreptos de omnibus ac singulis rebus oracula sententiasque proferre, atque eo deliramenti devenisse ut litteris latinis extrema fata portendant, linguamque latinam devoveant diris, utpote quæ in tot cruciatus ingenium adolescentulorum detorqueat, tempusque, quo nihil est in vita pretiosius, miserrime conterat. Sed quæcumque demum sint quæ objiciant hi novæ doctrinæ assertores, ea semper fuit et est mea opinio nobilissimam esse linguam latinam, atque Italorum præsertim esse hujus linguæ jura sarta tecta servare, latinorumque auctorum scripta et inventa tueri haud aliter ac sanctam hæreditatem a patribus acceptam quæ filiis et nepotibus sit rursus transmittenda. Quæ est enim alia lingua, si græcam excipias, quæ tot et tam præclaros jactet auctores, qui sive soluta, sive numeris adstricta oratione tantam sapientiam complexi sint, atque tot thesauros litterarum ad nos usque transmissos nobis legaverit? Comœdiam perpolitam M. Attius Plautus et P. Terentius, heroicum poëma P. Virgilius Maro, P. Ovidius Naso, M. Annæus Lucanus, et P. Papinius Statius nobis transmisere. Satyram vero, quod genus est poëseos admodum elegans, — quo poëta vel indulget salibus et hominum vitia socratica quadam ironia vellicat, vel amara bile exardescens perditos hominum mores perstringit aculeatisque verbis coercet, — condidere latini, exemplaque insignia nobis prodidere Q. Horatius Flaccus, A. Persius Flaccus, et Decimus Junius Juvenalis. Lyricam quoque didacticamque poësin et elegiam nos Latini docuere. C. Valerius Catullus suavissima carmina lyrica, inter quæ dignum est quod memoretur epithalamium Pelei et Thetidos,

edidit, Horatius pulcherrimas odas cecinit, quibus, nulli Græcorum, Pindaro excepto, est secundus, Virgilius georgica poëmata, Ovidius, A. Tibullus, Sextus Aurelius Propertius elegos versus suavi mœstitia perfusos nobis legavere. Quid vero dicam de historia? Quid de eloquentia? Quid de philosophia? Nonne excellentem et perfectam historiam nos docuere C. Julius Cæsar, C. Crispus Sallustius, Cornelius Nepos, Titus Livius et C. Cornelius Tacitus? Nonne M. Tullius Cicero nobis reliquit orationes cujuscumque generis sive judicialis, sive demonstrativi, sive deliberativi? Nonne idem Cicero et Lucius Annæus Seneca exquisitissimas doctrinas philosophicas præsertim academicas et stoicas lucubravere et nobis patefecere? Sed longior essem, si vellem omnes latinos scriptores recensere et eos quoque in medium proferre, qui scripserunt de grammatica, de jurisprudentia, de re rustica, de re medica, de historia naturali, de architectura, de re militari atque de aliis artibus et scientiis. Hoc tantum adjiciam, latinos scriptores tantam doctrinam, tantaque exempla recte scribendi prodidisse ut luce meridiana clarius pateat eos quoque, quos Italia nostra veneratur summos poëtas et oratores, Dantem Aligherium nempe, Petrarcam, Boccaccium, Politianum, Machiavellum, Ariostum, Casam, Segnerium, Alpherium, Montium, Fusculum, Leopardium, aliosque egregios in linguam latinam vehementer incubuisse, latinos auctores diurna nocturnaque manu versasse, neque alio fonte quam ex lingua latina uberrime hausisse. Si vero de utilitate hujus linguæ disserere vellem et præsertim eos recensere uberes fructus, qui in Italos redundarent ex fervidiore studio litterarum latinarum, difficillimum susciperem opus quod non brevi perficerem. Sufficiat hac in re afferre in medium verba doctissimi viri atque de litteris latinis præclare meriti, qui ex suggesto Athenæi Taurinensis hæc proferebat: « ..... id... penitus animis nostris infixum hæreat, Italos quidem universos de-

cere avitam litterarum latinarum hæreditatem diligentissime conservare a quibus acerrimum judicium, egregia civilis et militaris prudentiæ documenta, postremo ingentes illi spiritus manant quibus italicum decus tueantur; at multo acrius nobis Subalpinis esse adnitendum, quibus italicæ salutis et dignitatis præsidium apertissime a Superis est creditum et commissum (1) ».

Quæ cum ita sint, cum cordatioribus viris ego existimo linguam latinam enixius esse excolendam, nedum rejiciendam: idcirco non me pœnitet hos, quos tibi exhibeo, candide lector, hexametros latinos exarasse; quin imo in animo mihi est, — modo fortuna non adversetur, neque typographici sumptus impedimento mihi sint quominus id perficiam — proferre in lucem opera grandiora latine conscripta, quæ jam incepi.

Hoc etiam te esse admonitum volo, benevole lector, me non curasse verbum reddere verbo; hujuscemodi enim translatio ad verbum, quæ a sapientioribus omnino improbatur, locutiones phrasesque Torquati vehementi vigore robustas enervasset, idearumque vim obtudisset. Te adprecor etiam, quæ tua humanitas est, ut hunc meum laborem quicumque sit æqui bonique facias. Vale.

Scripsi Augustæ Taurinorum, Kal. Octobribus An. MDCCCLXIV.

ANTONIUS RIEPPIUS
Grammaticus Professor.

(1) Thomas Vallaurius in oratione de studio litterarum latinarum habita in Auditorio maximo Regii Athenæi Taurinensis prid. nonas Novembres an. MDCCCL.

CONCILIUM DÆMONIORUM

EX POEMATE TORQUATI TASSI DEPROMPTUM

ET IN LATINOS VERSUS HEXAMETROS TRANSLATUM

Christiadum jam fervet opus: tormenta parantur
Quæ Mahometanas turres et mœnia scindant:
Ast hæc adspiciens sævus dominator Averni
Torsit liventes oculos et labra momordit;
Ac veluti taurus confossus vulnere acerbo
Horrifice exululans auras mugitibus implet,
Sic ipse e stygio suspiria pectore fundit.
Jam sobolis sanctæ, quæ Christi militat armis
Funestam cladem atque mala ultima mente volutans,
Tartareas ad se jubet adventare cohortes,
Conciliumque vocat sub regia tecta nefandum:
Heu fatuus, qui se summo cum numine confert
Nec meminit divæ rutilantia fulmina dextræ.
Umbrarum dominos atra in subsellia pellit
Horrisonus clangor stygius strepitusque tubarum:
Intremuere cavæ fremitumque dedere cavernæ
Inferni, et fuscus reboat clangoribus aër.
Nec sic ingenti permiscens murmure cœlum
Interdum rutilans ruit alto ex æthere fulgur,
Nec sic terra tremit diro concussa fragore
Cum turgescenti concludit ventre vapores.
Tartarei proceres magno ocyus agmine facto
Nigris præcipiti cursu erupere latebris.

Atque catervatim ingrediuntur limina Ditis.
Quis queat illorum metuendas pingere formas?
Quis turpes vultus ferre, intuituque sinistro
Horrifica et gelidam spirantia lumina mortem?
Jamque ferina alii signant vestigia planta,
Cæruleosque gerunt impexos crinibus angues
Cingentes vultum humana sub imagine fœdum,
Immanemque trahunt caudam, quæ flectitur instar
Virgæ et mirifice varios sinuatur in arcus.
Innumera hic cernas variarum monstra ferarum:
Centauri in foribus stabulant, scyllæque biformes,
Quales Grajugenas hauserunt gutture nautas,
Gorgones, Harpyiæ, flammisque armata chimæra:
Sphinges, Pythones adsunt et bellua Lernæ,
Quinquaginta atris immanis hiatibus hydra,
Et sanie infecti Cyclopes, Geryonesque:
Insuper adspiceres pollutas crimine formas,
Multaque non audita ulli, neque visa, figuris
Disparibus, confusa simul permixtaque monstra.
Undique turmatim rectorem adiere tremendum,
Et dextra lævaque sibi subsellia quærunt.
Assedit medius Pluto, sceptrumque superbum
Torquet: nec rigidus mediis assurgit in undis
Sic scopulus, nec sic alpes pendentibus horrent
Cautibus, extollit nec sic molem arduus Atlas,
Nec per convexum surgit Tarthesia Calpe,
Ut non exigui præ illo sit collis imago,
Cornibus horrendus sic ille et fronte superbit.
Horrida majestas toto quæ prodit ab ore
Terrorem regis geminat redditque superbum.
Igne rubent oculi: horum acies suffusa veneno
Splendescit sæve infausto splendore cometæ.
Barba rigens mentum obvolvit velamine turpi
Impexosque agitans crines in pectora serpit:

Ora recluduntur nigranti sanguine fœda
Ingentis baratri obscuræque voraginis instar.
Ac veluti interdum horriferis tonat Ætna ruinis,
Flammarumque globos volvit liquefactaque saxa,
Sic piceæ Ditis ex atroci ore favillæ
Effulgent, tetroque ruunt cum murmure venti.
Cerberus abstinuit latratu rege loquente,
Conticuere hydræ, Cocyti constitit unda,
Ignivomique Erebi nigræ tremuere cavernæ.
Talia tunc magno sonuerunt dicta fragore:
Numina Cocyti, quibus altas scandere sedes
Par esset, summique poli convexa tenere,
Unde genus vobis clarum et cœlestis origo,
Quæque ferox sors in tenebras projecit averni,
Hostile ingenium ambiguum formidine nostis,
Hostilemque iram, magna et tentamina nostra:
Ast nutu ille suo excelsum moderatur Olympum,
Æternisque suæ iræ nos cruciatibus urit.
Is nobis solem auratum atque diem abstulit almum,
Is nobis rapuit rutilantia sidera cœli
Inque cavernosum nosmet detrusit Avernum,
Perpetuoque vetat sedes inhiare supernas.
Ast hoc, heu cogor dirum renovare dolorem,
Hoc est deterius, genus Adæ ad culmina cœli
Extollit, quamquam glomerato pulvere cretum.
Nec satis hoc illi: dira quoque morte peremit
Dilectam sobolem ut damnis nos plectat acerbis.
Is venit, nostrasque fores et tartara rupit
Ausus ferre pedem in metuenda hæc limina Ditis,
Atque animas nostram prædam hac subducere sede.
In cœlum hinc rediit spoliis præcinctus opimis,
Victor et exuvias victi monstravit Averni.
Sed quid nunc priscos instauro corde dolores
Hæc memorans? Cujus jam non pervenit ad aures

Supplicium nostrum et funesti infamia damni?
Et quando vel ubi contingit ut ille nocendi
Artes exueret vel iniquæ parceret iræ?
Linquamus vetera et perpendamus nova damna.
Quis vero non novit eum conamine turpi
Assidue adniti gentes ut ubique per orbem
Pervertat, cunctosque suas traducat ad aras?
Et nos desidiæ dabimus noctesque diesque
Quin melior cura ardescat in pectore nostro?
Et patiemur eum nostra ditescere clade
Divitiasque Asiæ et sceptrum donare superbæ
Christiadum genti? Miti num corde feremus
Illum Judæam submittere, regnaque in orbem
Late proferre et claro splendescere ubique
Nomine, ubique sibi summos conquirere honores?
Omnes num linguæ titulos nomenque tyranni
Ære vel incisum referent, vel marmore sculptum?
Num projecta feremus humi simulacra deorum
Illius in laudem conversaque nostra sacella?
An gentes illi suspendere vota sinamus,
Aurea dona dare atque incendere olentia thura?
Et quæ olim nobis templorum claustra patebant
Nunc latum nobis claudentur ubique per orbem?
Præterea nobis ars non erit ulla nocendi?
Ergo deficient animarum justa tributa,
Desertasque suas spectabit rector Averni
Sedes et vacua deinceps regnabit in aula?
Hoc absit, nec enim sensus periere vetusti
Illius ardoris, quo nos cœlestia regna
Adgressi sumus, impavidi et congessimus arma,
Et gladio et flammis dirum turbavimus hostem.
Tum fera pugna fuit magno pugnata per ausus:
Ille haud inficior vicit certamine longo:
Ipsi subrisit vultu fortuna secundo;

Nostra tamen virtus congressa est pectore firmo.
Sed nunc ignavos mora quæ tenet? Ilicet ite
Gens addicta mihi, mea spes, tutissima virtus
Inferni et Phlegetontæi munimina regni.
Accelerate gradum, discedite præpete cursu,
Terrificis sævos inimicos plectite pœnis.
Ite priusquam illi renovato robore crescant,
Ite gradu celeri, nec submergi igne voraci
Isacidum et magni Mahometi regna sinamus.
Artes in promptu vobis sunt mille nocendi:
Christiadum mentes odiis versare potestis,
Vos dira unanimos armare in prælia fratres,
Funereasque inferre faces, atque ultima damna.
Alter direptus per devia lustra vagetur,
Alter humi jaceat crudeli morte peremptus,
Lascivis alter curis submersus amoris
Sirenum risum et fulgentia lumina adoret.
Ardescens furiis discordia pectora scindat,
Christiadumque animos multa formidine plectet.
In ducem gladii vertantur corde rebelli:
Tota acies pereat vastis tumulata ruinis,
Exosæ quoque tollantur vestigia gentis.
Vix hæc fatus erat rector metuendus abyssi
Cum stygii proceres prorumpunt agmine facto,
Et linquunt caligantes formidine lucos.
Et veluti interdum magno cum murmure montis
Æolio exsiliunt antro, strepitantque per auras
Luctantes venti tempestatesque sonoræ,
Nimbisque obductis velant solemque diemque
Et miscent maria ac terras cœlumque profundum:
Sic illi sparsis per convexum æthera pennis
Astra vident rursum atque auras mugitibus implent.
Inde catervatim se diffudere per orbem
Ut mala perficiant magno nocitura dolore.